

vestro Dominio, ut illas posset per Lombardiam ostendere, quarum continentie non credatis. Casalmus iste debet presentasse has litteras vestro Dominio die sabbati, que erit dies XXVII mensis presentis per diem, si poterit facere viam Sausa, et propterea ego feci dari sibi, ultra salarium suum, quod a Comune debet habere, florenos quattuor millia et, si non presentaverit litteras ad terminum ordinatum, debet amittere totum quod a Comune habebit pro ista via et dictos florenos quattuor millia.

Dominus Rex dixit michi quod ego scriberem vobis quod hec que tractantur apud vos secretissima tenerentur. Nova non sunt que vera sonent. Dominus Rex debet stare in Perpignano et expectare quod Regina uxor eius, que pregnans est, pariat, que debet parere, sicut dicitur, in introytu mensis Januarii.

Johannes Steno etc. Data in Perpignano die XI Novembris Quarte inductionis.

*Item.* MCCCL. Mense Decembri Die IV Indictione IIII. Responsio facta ad capitula scripta in precedentibus latere super unione tractanda inter D. Regem Aragonum et D. Ducem et Comune Veneciarum.

D. Consiliarii. Capita et Sapientes. *Capta.*

Quod mittatur aliqua persona fidelis, una vel plures, ut videbitur, ad D. Johannem Steno ambaxatorem ad Dominum Regem Aragonum, per quam respondeatur ei recommendando providentiam suam quod, intellectis litteris suis et petitionibus ac capitulis pro parte Regis notatis, optantes quod tractatus sibi commissus cum honore et bono nostro capiat finem optatam, Altissimi gratia implorata, deliberavimus:

Quod in eo procedat et studeat ipsum ad complementum producere, procurando obtainere infrascripta secundum intentionem nostram, cum illa cautella et providentia quam speramus de eo.

*Primum.* Quod terminus unionis sit quam brevior fieri potest, a quinque annis infra vel usque ad quinque annos quam melius fieri poterit, et quod partes per medium annum ante complementum eorum in aliquo loco deputando convenienter ad deliberandum si erit ulterius confirmanda.

*Item.* Quod contributio in omni casu fiat equaliter: videlicet medietas per eum et medietas per nos, dantibus nobis mille florenos pro galea, pro parte nos contingente, secundum formam capituli sui et pro hoc contentamur quod lucrum fiendum dividatur per tertium; tertium videlicet, Regis, tertium capitanei et gentium galearum et tertium nostrum.

*Item.* Ubi dicitur de armando omni verre ultra XVIII galeas tot galeas que sint XXX procuret quod hoc relinquatur in provisione et discretione partium secundum condiciones et novas que habebuntur de